



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de erroribus Pelagianorum, de gratia, de iustificatione & merito,
de virtutibus theologicis & quatuor cardinalibus, ac de ineffabili mysterio
incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

Disputatio Proœmialis, contra Hæreticorum & Judæorum errores

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77177)

DISPUTATIO PROOEMIALIS

Contra Hæreticorum & Iudæorum errores.

Priusquam difficultates Theologicas, quæ in hoc Tractatu frequentissimæ & celeberrimæ sunt, aggrediamur, & cum Doctoribus Catholicis disputemus, hanc disputationem in ipsius limine, ut cæteris præambulam instituimus, ut Hæreticorum & Iudæorum confutatis erroribus, fidei veritas circa Incarnationis mysterium, clariùs eluceat, & firmiùs stabiliat.

ARTICULUS PRIMUS.

Declaratur breviter, quid Incarnationis nomine significetur.

Incarnationis nomine significatur unio humanitatis & divinitatis in una Christi persona, hæc enim humanitas ex carne componitur & spiritu, non incongruè tamen nomine carnis, assumptio humanitatis ad Verbum exprimitur. Primum, quia hoc fundamentum habet in frequentibus usibus Scripturæ Sacræ, in qua nomine carnis totus homo significari solet, & accepta parte pro toto, ut Genes. 6. *Omnis caro corruperat viam suam.* Id est omnis homo, pravus & corruptis est moribus. Luca. 7. *Videbit omnis caro salutem Dei.* Et ad Romanos 3. *In operibus legis non justificabitur omnis caro.* Hoc est nullus homo per solam legem Moysis, salvus fieri potest, sine Christo. Secundò, ad ostendendam veritatem Incarnationis, contra Manichæos, negantes Verbum Divinum, veram carnem assumpsisse. Tertio, ad demonstrandam magnitudinem charitatis Dei erga homines, qui ad eò se humiliavit & exinanivit, ut tam vilem & abjectam carnis naturam, ad illos redimendos assumpserit. Propter quod hoc mysterium Paulus 1. ad Timotheum 3. dicit, *Magnum spiritus sacramentum, quod manifestatum est in carne.* Hanc rationem Theophilactus, relatus à D. Thoma in Catena aurea, his verbis expressit: *Evangelista volens ostendere mirabilem Dei condescensionem, carnem commemorat, ut illius admiremur misericordiam, quoniam propter nostram salutem, quod omnino remotum est, & distans ab illius natura, assumpsit, scilicet carnem, anima namque habet aliquam propinquitatem ad Deum.* Quarto, sub hoc nomine, aliud mirabile insinuat, nempe Deum in similitudinem nostras & imbecillitates, quæ voce carnis significari solent, assumpsisse, ut homini, qui peccando spiritum amiserat, & carnalis factus erat, Verbum caro factum, eundem spiritum restitueret, ipsumque de carnali in spiritualem transformaret. Unde Apostolus ad Hebræos 2. de Christo loquens ait: *Qui in diebus carnis suæ, præ se supplicatione, quæ offerens, exauditus est.* Id est in diebus mortalitatis & passibilitatis suæ. Denique, quoniam vera caro animam in se complectitur, cum carnem vivam, animatam esse neces-

A se sit, incarnationis nomine, convenienter totius humanitatis assumptio significata est. Veritamen ne nomen carnis, ab aliquo in deteriorem partem fumeretur, Ecclesia quæ de Filio Dei in Symbolo dicit, *Et incarnatus est,* statim subdit, *Et homo factus est;* & Sancti Patres, licet frequenter vocent hoc mysterium *Incarnationem,* interdum tamen aliud nomen in similibus inligunt; Damascenus enim lib. 1. de fide, cap. 3. & lib. 3. cap. 6. ipsum *ἰσαρκωσιον*, id est inhumanationem, vocat; Hilarius verò in Prologum Psalmorum, *corporationem,* seu *incorporationem* appellat: quæ voce usus est etiam Tertullianus libro de carne Christi, circa principium.

ARTICULUS III.

Variis Hæreticorum errores, circa Incarnationis mysterium, breviter referuntur, ac refelluntur.

Cum Incarnationis mysterium sit præcipuum nostræ religionis fundamentum, & jusque cognitio, medium ad obtinendum salutem necessarium, ut in Tractatu de fide ostensum est, non mirum, si diabolus, variis Hæreticorum erroribus, ejus veritatem, aut penitus destrueret, aut adulterare & corrumpere, vel saltem aliqua ex parte diminueret & obscurare tentaverit. Unde Fulgentius lib. 1. ad Trasimundum cap. 4. *Certum est (inquit) penè omnes hæreticæ pravitate errores, hinc quibusdam multipliciter subrepsisse, dum magnum pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum est in spiritu, apparuit Angelis, prædicatum est gentibus, creditum est in hoc mundo, assumptum est in gloria, nonnulli aut non sicut est credunt, et omnino non credunt; & ille lapis qui ab ædificantibus reprobarus, in caput factus est anguli, quibusdam prave credulitatis cecitate possessis, lapis offensionis & petra scandali efficitur.*

Hanc errorum contra hujus mysterii veritatem pugnantium multipliciter, eleganter descripsit Leo Papa serm. 8. de Nativitate, his verbis: *Omnium ferè falsa credentium opinionibus, quæ etiam Sancti Spiritus negationem prouunt, retractatis, neminem penè deviasse cognoscimus, nisi qui dum in Christo naturarum veritatem sub unius persone confessione non credidit. Alii etenim Domino solam humanitatem, alii solam adscripsere Deitatem. Alii veram quidem in ipso divinitatem, sed carnem dixerunt fuisse simulatam. Alii profesi sunt veram eum suscepisse carnem, sed Dei Patris non habuisse naturam & deitatem ejus, quæ erant humana substantia deputantes, majorem sibi Deum, minoremque sinxerunt; cum gradus in divinitate esse non possit. Quoniam quidquid Deo minus est, Deus non est. Alii cognoscentes Patris & Filii nullam esse distantiam, quia*

Disp. 6. art. 5. 1

non poterunt unitatem deitatis intelligere, nisi in unitate persona, eundem asseruerunt esse Patrem quem Filium, & nasci, & nutrir, pati & mori, sepeliri & resurgere, ad eundem pertinere, qui per omnia & hominis personam implet & Verbi. Quidam putaverunt Dominum Iesum Christum non nostra substantia corpus habuisse, sed ab elementis superioribus ac subtilioribus sumptum. Quidam autem estimaverunt in carne Christi humanam animam non habitasse, nec fuisse; sed partes animae ipsam Verbi implessit deitatem. Quorum impudentia in hoc transit, ut animam quidem fuisse in Domino saterentur, sed eandem dicerent morte caruisse, quia sufficeret homini sua deitas ad omnia rationis officia. Postremo idem asserere presumpserunt, partem quandam Verbi in carnem fuisse conversam; ut in unius dogmatis varietate multiplici, non carnis tantum, animaeque naturae, sed etiam ipsius Verbi solveretur essentia.

Varios hos ac multiplices circa mysterium Incarnationis errores, cum D. Thomas in caput primum Matthaei, ad tres classes revocari posse existimo. Prima est errantium circa divinitatem Christi; secunda errantium circa ejus humanitatem; tertia eorum qui circa ipsam utriusque naturae unionem erraverunt.

Ad primam classis pertinent Ebron, Cherintus, Paulus Samozatenus, Photinus, & alii, qui in Christo solum naturam humanam confitebantur: divinitatem vero, non per naturam, sed per quandam excellentem divinae gloriae participationem, quam per opera meruerat, in eo fuisse confingebant.

Contra hunc errorem militant in primis varia Scripturae testimonia, quibus Christus velus Deus, verusque ac unigenitus Dei Filius asseritur: 1. Joan. 1. *Simus in vero filio ejus: hic est verus Deus, & vita aeterna.* Ad Roman. 9. *Ex quibus (scilicet Patriarchis) Christus est secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in saecula.* Joan. 3. *Unigenitus filius qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Item ad Hebraeos 1. dicitur filius Dei naturalis, & Angeli, licet sint filii adoptivi, tamen ejus respectu dicuntur servi & ministri. Denique Christus ipse aperte profiteretur aliam se constare naturam, quam humanam quam praeseferbat: sic enim ait Joan. 6. *Ego sum panis vivus qui de caelo descendit; nullo autem modo potest dici de caelo descendisse natura humana, quae nunquam in caelo fuerat.* Et Joan. 8. *Antequam Abraham fieret, ego sum: non utique secundum naturam humanam, in qua triginta quatuor annos nondum expleverat, sed secundum divinam, quae est ab aeterno, & antequam mundus fieret.* Demum Christus ait Joan. 10. *Ego & Pater unum sumus, quod Judaei ipsi intellexerunt dictum de unitate naturae divinae.*

Præterea, ut discurrit D. Thomas opusc. 2. quod Compendium Theologiae inscribit cap. 202. dicitur Joan. 1. *In principio erat Verbum, & postea subditur, Verbum caro factum est: Verbum ergo quod erat in principio apud Deum, carnem assumpsit, non autem homo, qui ante non fuerat, per gratiam adoptionis deificatus est.* Item Dominus dicit Joan. 6. *descendi de caelo, non ut faciam voluntatem meam, sed ejus qui misit me.* Secundum autem Photini errorem, non convenit Christo descendisse, sed solum ascendisse, cum tamen Apostolus dicat ad Ephes. 4. *Quod autem ascendit, quid est nisi quia & descendit primum in inferiores partes terrae.* Ex quo

manifestè datur intelligi, quod in Christo non habet locum ascensio, nisi descensio praecedisset.

Simili discursu utitur 4. contra Gent. cap. 28. ubi eundem Photini errorem impugnavit sic ait: *Non enim secundum positionem hujusmodi Deus carnem assumpsit ut fieret homo, sed magis homo carnalis, Deus factus fuit; & sic non verum esset quod Joannes dicit: Verbum caro factum est; sed magis e converso caro Verbum facta fuisset. Similiter etiam non convenit Dei Filio exinanitio aut descensio, sed magis homini glorificatio & ascensio; & sic non verum esset quod Apostolus dicit: Quis cum in forma Dei esset, exinanivit semetipsum, formam servi accipiens.*

Ad secundam classis pertinet in primis error Manichæorum, qui cum existimarent omnem creaturam corpoream à diabolo fuisse creatam, nec fuisse conveniens, ut Dei Filius, diaboli creaturam assumeret, dicebant Christum non habuisse veram carnem, sed phantasticam tantum; subindeque omnia quae in Evangelio de Christo narrantur, ad humanam naturam pertinentia, in phantasia, & non in veritate facta fuisse esse rebant, ipsumque proinde non esse verè, sed apparenter tantum natum de Virgine, circumcisum, crucifixum, mortuum, &c. quod est totam Evangelii veritatem destrueret, ut notat Sanctus Thomas cap. 207. opusculi citati. Deinde, ut dicit, *In hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati.* Non fuisse autem veritatis testis, sed magis falsitatis, si in testimonio trasisset quod non erat. Unde idem Salvator suspicionem phantastici corporis, à mentibus Discipulorum removere voluit, Matth. 24. ubi Discipulis videntibus eum supra mare ambulantem, & ad ejus, ut phantasmatis, aspectum exclamantibus, dixit: *Habere fiduciam, ego sum, nolite timere;* & Luca ultimo, ubi, etiam illis conturbatis & conterritis, ac existimantibus se spiritum videre, ait: *Palpare & videre, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.*

Secundò ad hunc ordinem pertinet error Valentini, qui licet verum corpus Christum habuisse confiteretur, dicebat tamen eam carnem non assumpsisse de Virgine, sed attulisse corpus de caelo formatum, quod transivit per Virginem, nihil ex ea accipiens, sicut aqua transit per canalem. Quod manifestè Scripturae repugnat, Paulus enim ad Rom. 1. de Christo ait, *Factus est ei ex semine David, secundum carnem.* Et ad Galac. 4. *Deus misit filium suum, factum ex muliere.* Non potest autem dici factus, vel natus de Virgine, si solum per eam sicut per fistulam transisset, nihil ex ea allumens: Ex ea igitur corpus assumpsit, non vero de caelo formatum attulit. Unde quando idem Apostolus 1. ad Corinth. 15. ait: *Primus homo de terra terrenus, secundus homo de caelo caelestis,* intelligit secundum divinitatem, quae dicitur specialiter esse in caelo, quòd in caelo Deus se manifestet, ut explicat S. Thomas opusculo citato cap. 208.

Terriò ad eandem classis reducendus est error Atrii, qui ut refert idem S. Doctor ibid. c. 204. & 4. contra Gent. cap. 32. docuit quod Christus Dominus non habuit animam humanam nostrae similem, sed Verbum ei fuerit pro anima, atque ita quod solum carnem assumpsit. Qui error falsè refellitur, tum quia, cum Verbum Divinum sit Deus,

Deus, non potest esse forma corporis; tum etiam, quia cum Christus sit verus homo, debet integram naturam humanam habere; unde cum sit non solum corpus, sed etiam animam conset, Christus non solum corpus, sed etiam animam rationalem nostram similem habuit. Addit S. Doctor locis citatis, quod de Christi anima plura dicuntur in Scriptura, quæ non possunt Verbo Divino competere: dicitur enim Matth. 26. *Tristitia mea usque ad mortem*, & Joan. 12. *Nunc anima mea turbata est*. Tristitia verò & timor, sunt passionis anime sentientis, & Verbo Divino convenire nequeunt; tum quia ex Scriptura est verus Deus, rem etiam, quia Arcius ipse, qui ipsam non Deum, sed creaturam esse profitebatur, dicebat tamen illum in beatitudine, & omni perfectione superiorem esse omni spiritui creato.

Quartò ad eundem ordinem pertinet error Apollinaris, qui referente D. Thomâ in prædicto opusculo, cap. 205. coactus quidem fuit testimoniis quæ citavimus, admittere naturam humanam esse in Christo, at negavit esse mentem humanam, sed Verbum Divinum voluit esse mentem Christi unicam. Qui etiam error facillè convehitur: Primò quia cum in Christo sit duplex natura, divina & humana, debent esse gemina in illis, quæ utriusque ex illis naturis seorsim sumptis conveniunt, subindeq; duplex intellectus: unus divinus & increatus, alter humanus & creatus. Secundò, quia fuisse contra finem Incarnationis, si Verbum Divinum partem intellectivâ hominis non allumpisset: nam finis Incarnationis est reparatio humana nature, quæ principalitè incipit reparari quantum ad intellectivâ partem, quæ particeps peccati esse potest. Tertio, quia Christus in Scriptura dicitur orasse & admiratus fuisse: oratio autè cum sit inferioris ad superiorem, divinitati tribui non potest, sicut nec admiratio, quæ ignorantia includit vel supponit. Unde rectè concludit S. Doctor, quod sicut pavor & tristitia cogunt nos ponere animam sensitivâ in Christo, sic oratio & admiratio, nos inducunt & cogunt, in illo admittere mentem seu partem intellectivâ humanâ, cuius est admirari & orare.

Similis præcedenti fuit error Monothelitarum, qui in Christo non nisi unicâ voluntatem voluerunt agnoscere; unde similibus argumentis confutandus est. Addi etiam potest, quod Christus aperte profitetur in Scriptura, in se esse voluntatem aliquam, à voluntate Patris diversam: ait enim Lucæ 22. *alioquens Patrem: Non mea voluntas sed tua fiat*. Et Joan. 6. *Descendi de celo, non ut facerem voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me*. At secundum divinitatem una est voluntas Filii Dei, & Patris: Ergo Christus, præter voluntatem divinam habuit humanam, subindeque in ipso fuit gemina voluntas, sicut & duplex natura.

Ad tertiam classem eorum, qui circa divinæ & humanæ nature unionem erraverunt, pertinet in primis error Apollinaris qui ut referunt D. Augustinus in lib. de hæresibus, num. 55. & D. Thomas 4. contra Gent. cap. 31. dixit Incarnationem fuisse factam, non per assumptionem humanitatis ad Verbum, sed per conversionem Verbi Divini in carnem; occasionem hujus erroris sumens ex eo quod dicitur Joan. 1. *Verbum caro factum est*, quod sic intelligendum putavit, quasi ipsam Verbum sit conversum in carnem; sicut & intelligitur illud quod legitur Joan. 2. *Ut gustavit arbutum sicut aquam vinum factam*, quod ea ratione dicitur, quia conversâ est aqua in vinum.

Hujus erroris impossibilitas, seu potius demerita, patet: Tam ex eo quod Verbum Divinû, cum sit Deus, & ens increatum, indefectibile & intransmutabile, in aliud cõverti non potest. Tum etiam, quia si conversum fuisset Verbum in hominem, quæ modum lignum in ignem, aqua in vinum, aut virga Moyis in draconem, sequeretur quod Christus, qui esset terminus illius conversionis Dei in hominem, non esset Deus quem admodum aqua conversâ in vinum, non est aqua, sed vinum, & sicut factâ conversione virgæ Moyis in serpentem, non erat amplius virga, sed tantum serpens. At quod Christus, factâ Incarnatione, permaneat Deus, asserit passim Scriptura, quæ ipsum Deum simul & hominem appellat, locis supra citatis, & Apostolus ad Hæbræos 13. ait: *Iesus Christus heri, & hodie, ipse & in sæcula*; id est, Christus est idem qui fuit Deus & homo, & permanens æternum. Hunc Apollinaris errorem rejicit Athanasius in Symbolo, ubi ait, quod Christus est unus, non conversione divinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum.

Ad eandem classem pertinet error aliorum Hæreticorum, qui dicebant in Incarnatione humanam naturam per assumptionem Verbi fuisse consumptam, ac in divinam transmutatam: qui error, cum sit similis præcedenti, similibus rationibus confutandus est.

Ad illum etiam ordinem spectat error Nestorii, qui cum videret Christum in Scriptura verum Dei filium, & hominè esse sæpe asseri, nec fateri vellet eundem esse hominem & Deum, seu divinam & humanâ naturam, in unam coaluisse personam, blasphemavit, sub hoc nomine Jesu Christi, duas intelligendo personas; alteram filium Dei ante sæcula à Patre genitum; alteram filium Virginis, in sæculo natum. Dicebat tamen in hoc filio Virginis representari filium Dei, & filium Dei in filio Virginis operari, & affectu summo, non verò unitate personali, duas illas personas inter se coherere, id est quod filium Virginis, nuncupatoriè, & denominatione extrinsecâ, Deum appellari, non quod re vera Deus esset, sed tantum quod Deum representaret, aut Deus in eo per affectum, vel operationem, ut in suo templo habitaret.

Prima pars hujus erroris rejicitur in Concilio Ephesino, contra Nestorium coacto, parte primâ cap. 4. pag. 62. ubi sic dicitur: *Porro arbitrari hanc vocem Christus, seorsim huic, seorsim illi, id est filio Dei, & filio Virginis, in duas personas inter se coalitis, convenire, stultum est, imò & impium & blasphemum; unus enim est Dominus Iesus Christus, non divisus, neq; dissectus, juxta Paulum 1. ad Cor. 1. Nunquid divisus est Christus? Secunda verò pars damnatur in 5. Synodo Generali, actione ultimâ, can. 4. his verbis: *Si quis dixerit Deum & hominem, tantum secundum representationem, aut habitudinem honoris, vel operationis, vel affectus, unitum esse, & non secundum hypostasim, id est unitatem personæ, anathema sit*. Hunc etiam errorem fuse & lato calamo impugnat S. Thomas 4. contra Gentes cap. 34. variis rationibus, quæ ibidem videri poterunt.*

Ad eandem classem reducitur error Eutichetis, qui ut unitatem personæ contra Nestorium servaret in Christo, dixit in illo esse etiam solum unam naturam: ita quod quamvis ante unionem essent duæ nature distinctæ, divina & humana, in unionem tamen coierunt in unam naturam, & sic dicebat Christi personam ex duabus



naturis esse, non autem in naturis subsistere. Qui error à Concilio Chalcedonenſi damnatus est: nam in Symbolo fidei sic habetur: *Confitemur in novissimis diebus, Filium Dei unigenitum in duabus naturis inconfuse, immutabiliter, indivise, inseparabiliter agnoscendum, nunquam sublatam differentiam naturarum, propter unionem.* Et Athanasius in Symbolo dicit quod Christus est unus, non confusione substantiæ, sed unitate personæ.

15 Ex his ergo patet, fidem Catholicam agnoscere in Christo divinam simul & humanam naturam, in eadem Verbi Divini persona intimè conjunctas, & indissolubili sedere copulatas. Unde Leo Papa serm. 7. de Nativitate Domini, ait: *Verum esse hujus mysterii adoratores, qui nec de Incarnatione Domini aliquid falsum, nec de Deitate aliquid sentit indignum: parvis enim periculis malum est, si illi aut natura nostra veritas, aut paternæ gloriæ negetur aequalitas.*

ARTICULUS III.

Judeorum error existimantium Messiam nondum venisse, testimonio veteris testamenti confutatur.

16 **M**essiam promissum jam venisse, nullus qui Christiano nomine gloriatur, quantumvis hæreticus, negare potest; tum quia hoc potissimum differt Christiana fides, à Judæorum perfidia: tum etiam quia Christus discretis verbis id affirmavit, Joan. 4. Cum enim Samaritana dixisset, *Scio quia Messias venit qui dicitur Christus: dixit ei Iesus: Ego sum qui loquor tecum.* Et hanc veritatem inter alias confessus est Petrus, Matth. 16. illis verbis: *Tu es Christus Filius Dei vivi, & Martha Joan. 11. dicens: Tu es Christus Filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti.* Itaque solum contra Judæos, ex veteri Testamento, quod ipsi duntaxat admittunt, hæc veritas breviter hic demonstranda est.

17 Licet autem in hujus rei confirmationem, plura proferri possint veteris testamenti testimonia, duæ tamen, quæ sunt famosiora & illustriora, sufficient. Primum habetur Genes. 49. ubi Patriarcha Jacob moriturus, & filiis suis benedicens, spiritu prophetico dixit Judæ adventum Messias prædicens: *Non auferetur sceptrum de Juda, & dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio Gentium.* Ubi sermonem esse de Messia, patet ex verbo Hebræico *Siloh*, quod interpretatur missus, seu mittendus, sicut de piscina Siloë dicitur Joan. 9. hoc enim nomen propriè convenit Messias, qui antonomastice missus, seu mittendus dicitur; unde Paraphrastes Caldæicus, magnæ apud Hebræos auctoritatis, pro *Siloh*, Messias nomen habet, sic enim legit: *Non auferetur Sceptrum de Juda &c. donec veniat Rex Messias.* Constat etiam ex his quæ sequuntur, *Et ipse erit expectatio Gentium*, sive ut habet Olearter: *Et erit illi obedientia populorum*: hæc enim verba, neque ad Saulem, qui non fuit de Tribu Juda, sed de Tribu Benjamin, neque ad Davidem, Salomonem, vel Jeroboam, aut alium ex Regibus Israël, adaptari possunt, cum nullus ex illis fuerit expectatio Gentium, aut illi data sit obedientia à Gentibus; sed soli Messias, de quo dicitur Isaia 11. *Radix Jesse qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur.* Duo ergo in hac prophetia Jacob prædicuntur, primum est, fore ut Judas, quem singulariter Ja-

cob alloquebatur, regnaret in suis posteris, quod in Davide & successoribus ejus impletum est: Secundum, quod deinceps non defeceret Rex & Dux de femore ejus: id est quod natus de prognatis ejus, donec veniret Messias. Quæ prophetia ut vera sit, necesse est jam venire Messiam, cum neminem jamdiu de Juda prognatis regnare, aut Ducem esse, & regnum Juda penitus esse extinctum, manifestum sit.

Gravis tamen difficultas est, quomodo regia potestas, in Judæa prognatis, à Davide, que ad Christi adventum, quem Messiam esse contendimus, semper manserit. Ratio dubitandi est primò, quia post Jechoniam ceperunt Reges in Judæa, ut patet ex Jeremiae 22. ubi de Jechonia dicitur: *Scribe virum solum sterilem. . . . nec enim de femine ejus vir qui sedet super solium David, & potestatem habeat ultra in Juda.* Secundò, quia Machabæi annis 163. regnarunt illi autem, cum essent Sacerdotes, non erant prognati ex Juda, sed ex Levi: Ergo regia potestas, jamdiu ante Christi adventum, à stirpe Juda defecerat.

Ad primum responderetur, quod licet in Jechonia defecerit filius, qui sederit super solium David, titulo & majestate Regis, non tamen qui sederit ut Princeps, seu Dux, constat enim quod Zorobabel, & deinceps ejus successores, defecerant ex Jechonia, ut dicitur Matthæi 1. & primi Paralip. 3. Fuit verò Zorobabel Dux in Juda, ut dicitur Aggæi 1. Prophetia autem Jacob non restringitur ad titulum Regis, sed etiam Ducis, dicitur enim: *Non auferetur sceptrum de Juda, & Dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est.*

Ad secundum quod difficultus est, respondetur aliqui Scripturæ Interpretes, quod quando prædicta prophetia dicitur: *Non auferetur sceptrum de Juda*, per Juda non debet intelligi tota Tribus Juda, sed tota gens Judæica: unde ad veritatem illius, sufficere dicunt, quod aliqui Hebræorum (sive ille fuerit ex Tribu Juda, sive ex Tribu Levi, aut quacunque alia) à Davide, que ad Herodem alienigenam, & adventum Christi, sceptrum seu principatum Judæorum tenuerit.

Sed hæc responsio aliis displicet, & merito, hæc enim verba, *Non auferetur sceptrum de Juda &c.* ad illum singulariter dirigebantur, ut patet ex verbis immediatè præcedentibus, *Juda te laudabunt fratres tui. . . . adorabunt te filii Patris tui, & ex aliis immediatè sequentibus, Ligans ad vineam pullum suum &c.* quæ dicta sunt ob fertilitatem terre Chanaam, quæ Tribui Juda sorte obvenit: Ergo cum prima & extrema verba prophetiæ, pertineant ad Judam singulariter, absurdum est estimare, media non ad eundem, sed ad universum populum Judæicum pertinere. Adde quod, quando Jacob filiis suis sigillatim benedicebat, dicebat unicuique propria, nec quod erat unius Tribus, ad aliam transferebat, unde

Melius responderetur cum D. Hieronymo in cap. 1. Sophonia, quem sequuntur Lyranus, Abulensis, Baronijs, & plures alii, Machabæos fuisse progenitos ex Juda, ex parte matris, licet ex parte patris essent prognati ex Levi: quamvis enim alij non possent jungi matrimonio, nisi contribulis suis, licebat tamen Tribui Judæ, & Tribui Levi, propter nobilitatē, mutua inire connubia, ut testatur Philo Judæus libro 2. de monarchia non longè ante finem, & colligitur ex Scriptura nam

Nam Exodi 6. dicitur Aaronem, primum Sum-
mum Pontificem, duxisse in matrimonium Eli-
zabetham, filiam Aminadab, Principis Tribus
Juda, & 2. Paralip. 21. Joridam Pontificem jun-
ctum sibi matrimonio Jolabech, filiam Regis Ju-
da. Et Lucæ 1. Elizabeth, quæ erat de filiabus Aa-
ron, dicitur cognata Mariæ, quæ erat ex Tribu
Juda, sicut & Joseph vir ejus; unde juxta hanc
solutionem, patet quod à tempore Davidis, us-
que ad Herodem, & adventum Christi, fuerunt
Reges vel Duces ex Tribu Juda, ex materno
filitem genere, quod sufficit ad salvandam præ-
dictam prophetiam Patriarchæ Jacob, Non au-
feretur sceptrum de Juda, & Dux de femore ejus, do-
nus veniat qui mittendus est.

Dices, Si sufficiat maternum genus, seu linea
femina, ut dicatur non cessasse sceptrum in
Juda, non verificabitur defecisse sceptrum in
tempore Christi: Herodes enim duxit uxorem Ma-
riam nem, neptem Hircani Pontificis, quæ erat
legitima hæres regni, & ex illa natus est Aristo-
bulus, ex quo Herodes Agrippa, qui regnavit a-
post. Judæos tanquam legitimus Rex, post mor-
tem Christi, ut habetur Act. 12. & 26. Ergo hæc
interpretatio legitima non est.

Respondeo quod licet Herodes duxerit uxorem
Mariam nem, quæ erat legitima hæres regni,
ipsi tamen personæ Herodis, collatum est re-
gnum Judææ, non uxori ejus, primò quidem ex
senatus consulto, & beneficio Cæsaris Augusti,
deinde ex populi consensu, qui acceptavit illum
in Regem, eique juramentum præstitit, ut refer-
t Josephus lib. 17. antiquit. cap. 3. ubi etiam nar-
rat, hæc de causa animadversisse Herodem in
quosdam Phariseos, qui ipsi obedire, & jura-
mentum præstare recularunt. Similiter, quod
Herodes Agrippa qui per lineam maternam (ex
patre scilicet Mariamne quæ ejus avia erat) de-
scendebat ex Tribu Juda, post mortem & ascen-
sionem Christi, in Judæa regnavit, non obest
veritati Prophetiæ Jacob: nam semel ablato
sceptro à Tribu Juda, ut factum est in primo He-
rode, jam adimpleta erat prophetia illa, quæ so-
lum dicebat, quod non auferretur sceptrum de
Juda, quo adique Messias veniret: quod verò
semel ablatum, iterum non rediret ad Tribum
Juda, ad talem prophetiam non pertinebat.

Aliud testimonium habetur Daniël 9. ubi An-
gelus Gabriel, ipsum Daniëlem instruit de tem-
pore adventus Christi, dicens: *Septuaginta Hebdo-
madas abbreviata sunt super populum tuum, & super
urbem sanctam tuam, ut consummetur per avaritiam, &
super accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & ad-
dicatur justitia sempiterna, & impleatur visio & pro-
phetia, & ungatur Sanctus Sanctorum.* Deinde sub-
dit Angelus, occidendum esse Christum, & ne-
gandum à suo populo, & desolandum esse civita-
tem Jerusalem, ultimà desolatione. In qua pro-
phetia, in primis certum est, sermonem esse de
vero Messia: nominatur enim Christus, Sanctus
Sanctorum, & subditur, quod per ipsum delen-
dum est peccatum, & prophetiæ adimplendæ:
quæ omnia soli vero Messia convenire, manife-
stum est. Nec obest quod objiciunt Judæi, Dani-
ëlem non postulasse revelari sibi adventum
Messiæ, sed temporalem Judæorum liberatio-
nem: nam præterquam quod Deus solet inter-
dum plus concedere quàm rogetur, satis verifi-
cabile est, Daniëlem non tantum temporalem
populi libertatem, sed multò magis spirituales,
futuram per Messiam, desiderasse, quod satis

A indicavit Angelus dicens: Ego veni ut indicarem
tibi, quia vir desideriorum es.

Deinde certum est Gabriëlem Hebræicè Dani-
ëli Hebræo loquentem, sine dubio hebdoma-
das sumpsisse aliquo sensu quo solebant accipi
ab Hebræis, & quo sumebantur alibi in Scriptu-
ra; alioqui nihil certi ex hac temporis revelatio-
ne & definitione potuisset colligi à Daniële: At
in Scriptura, duobus tantum modis sumi solet
hebdomada, primò pro spatio septem dierum,
ut Levitici 23. *Numerabitis septem hebdomadas ple-
nas, usque ad alteram diem expletionis hebdomada se-
ptima, id est quinquaginta dies: secundò, pro tem-
pore septem annorum, & hoc modo usi patitur
Levitici 25. Numerabis quoque tibi septem hebdoma-
das annorum, id est septies septem, quæ simul faciunt
quadraginta novem.* Debent ergo hebdomada
Daniëli revelata, altero ex his duobus modis acci-
pi, nempe pro septem annis dierum, vel anno-
rum: quocumque autem ex his duobus modis accipian-
tur, manifestum est illas jam pridem elapsas esse,
ac impletam Daniëlis prophetiam, subindeque
Messiam à multis sæculis venisse: nam septua-
ginta hebdomada dierum, vix unum annum &
dimidium faciunt; septuaginta verò hebdo-
mada annorum, efficiunt totum annos 490 quod
annorum intervallum reperitur fluxisse, à tempo-
re quo loquebatur Angelus Daniëli, usque ad
Christum Dominum. Verum quia sunt variæ ex-
plicationes & controversiæ circa initium ac ter-
minum temporis, quo inchoandus, & in quo fini-
endus est talium hebdomadam numerus, & in
his immorari, nec vacat, nec expedit, independen-
ter ab ea varietate explicationum, & opinio-
num, ostendo breviter, ex tali prophetia aperte
colligi, jam à multis sæculis venisse Messiam:
nam Angelus, post verba supra relata, subdit,
quod ille Sanctus Sanctorum Christus occidetur,
& non erit populus ejus qui eum negaturus est, &
quod in pœnam hujus scelus, civitate, & San-
ctuarium dissipabit populus, cù duce venturo, &
finis ejus vastitas & desolatio. Atqui manifestum
est, Sanctuarium & templum de quo Angelus
loquebatur, jam pridem fuisse dissipatum, scilicet
post Jesu Christi necem, ejusque desolationem
ac dissipationem, per multa secula adhuc durare:
Necesse est ergo, quod jam pridem factum sit sce-
lus, cujus ultio & pœna prædicta ab Angelo est ex-
ecutioni madata; At scelus illud ex Prophetia,
est occisio Christi, ejusque à suo populo abjectio:
Ergo jam à pluribus sæculis occisus est, & à populo
suo rejectus Messias, in veteri testamento promissus.

Confirmatur: De Messia dicitur Aggæi 2. *Ve-
nier desideratus cunctis gentibus, & implebo domum i-
stam (templum scilicet Jerusalem) gloria;*
Ergo cum à tam longo tempore, illud templum
penitus eversum sit (à tempore scilicet Tiri &
Vespasiani) non potest jam amplius expectari
Christus, qui templum illud impleturus sit glo-
rià, sed supponi debet quod tempore sui adven-
tus & nativitatis, tale templum extiterit, & non-
dum eversum ac dissipatum fuerit.

Adde quod ibidem Propheta subdit: *Magna
erit gloria domus istius novissima, plusquam prima.*
Quod cum non possit intelligi de majori gloria,
ratione ædificiorum, lignorum, vasorum, vel
etiam gloriæ, quæ in dedicatione primi templi
replevit templum, ut habetur 3. Reg. 8. & 2. Pa-
ralip. 7. in his enim primum templum, novissi-
mum incomparabiliter superavit, erit intelli-
gendum de alia gloria, quæ alia non est quàm præ-
sencia

sentia Christi, qui in novissimo templo sapè docuit & prædicavit.

Plura alia argumenta moralia, ad probandum Christum esse verum Deum, verumque Messiam à Deo promissum, adduximus in Tractatu de fide, in digressionem de signis credibilitatis fidei nostræ, quæ ibidem videri poterunt.

DISPUTATIO II.

De possibilitate Incarnationis.

QUAMVIS D. Thomas, relicta quaestione de possibilitate hujus mysterii, statim agat de ejus convenientia, idque rationabiliter: Tum quia nulla scientia probat, saltem necessitate, sed supponit suum objectum esse possibile: Tum etiam, quia cum in convenientia includatur possibilitas, sicut superius in inferiori, demonstrat convenientiam Incarnationis, ejus possibilitas sufficienter ostenditur. Quia tamen Commentatores à possibilitate Tractatum suum incipiunt, nec parum difficile est argumentis adversus eam fieri solitis satisfacere, ut demus aliquid consuetudini, & argumenta illa diluamus, agimus de possibilitate Incarnationis, priusquam de ejus convenientia & necessitate disseramus: nihil verò dicemus de ejus existentia, cum illa sufficienter constet ex dictis art. 3. disputationis præcedentis, ubi Messiam jam venisse, subindeque Incarnationis mysterium de facto completum & peractum esse, ostendimus.

ARTICULUS I.

Utrum Incarnatio sit possibilis?

CUM mysterium Incarnationis sit planè supernaturale, nullumque habeat in rebus naturalibus vestigium, aut medium quo possit convinci, ejus possibilitas ratione naturali demonstrari nequit, sed tantum probabiliter suaderi, tum ratione probabili, tum solutione argumentorum, quæ ejus impossibilitatem videntur ostendere, unde utrumque hic breviter præstandum erit.

§. I.

Ratione probabili possibilitas Incarnationis suadetur.

HANC rationem insinuavit Archangelus Gabriel Luca 1. cum Beatam Virginem alloquens, eamque de hujus mysterii possibilitate instruens, dixit, *Non erit impossibile apud Deum omne verbum*: Illis enim verbis declaravit, omne illud esse Deo possibile, quod intellectu capi potest, at non implicans contradictionem: Sed Deum incarnari, sive fieri hominem, ac assumere ad suam substantiam naturam creatam, nullam implicat contradictionem: Quæro enim unde illa proveniat? vel ex parte substantiæ divinæ, ad quam sit assumptio, vel ex parte naturæ creatæ ad eam assumptæ? Non primum, siquidem cum substantia divina sit infinita, subindeque eminenter contineat omnem perfectionem substantiæ creatæ, potest, seclusis imperfectionibus, effectum illius supplere, atque ad eum terminare naturam, quam terminaret substantia creatæ, si adesset: sicut ex eo quod Deus in ra-

tionem primæ causæ, contineat eminenter omnem perfectionem causæ secundæ, potest abique illa imperfectione efficere quod illa efficit. Neque etiam secundum, etenim cum natura humana realiter distinguatur à sua substantia, siquæ illi prior, quia est ejus subjectum, & prius non dependeat à posteriori, potest divinitus ab ea separari, & consequenter ad divinam substantiam assumi: Ergo incarnatio possibilis est.

Dices primò: Essentia Divina continet eminenter omnem perfectionem humanitatis, animæ, intellectus, ac luminis gloriæ, nec tamen propterea potest supplere formaliter vices talium rerum, ut communiter docent Theologi: Ergo ex eo quod nulla sit perfectio in substantia creatæ, quam non contineat eminenter divina, non rectè concludimus, quod non implicet substantiam divinam terminare naturam creatam, substantiæ ejus vicem supplendo.

Sed negatur consequentia & paritas, quia omnia illa quæ ibi recensentur, ita involvunt imperfectionem, ut non possint ab ea absolvi & præscindi: nam habere rationem naturæ potentiam, ad quælibet per substantiam, existentiam, & operationem, potentiam, & habitum, ex proprio conceptu maximam importat imperfectionem ab illis inseparabilem & impræscindibilem: terminare verò naturam creatam, ac supplere vices substantiæ ejus, nullam dicit imperfectionem potentialitatis vel informationis in suo conceptu, à qua non possit absolvi & præscindi, ut ex solutione argumentorum patebit.

Dices secundò: Licet substantia divina sit infinita, habet tamen actum seu terminationem sibi adæquatam, nempe terminationem naturæ divinæ, quæ est simpliciter infinita: Ergo sicut paternitas divinæ, licet infinita, non potest aliter esse aut dici pater, quia habet terminum seu sibi correspondentem, infinitum; ita nec eam divina substantia, poterit alienam naturam terminare, ob suam infinitatem.

Sed contra, Licet nulla res possit se extendere ultra actum vel terminum sibi adæquatam absolute, potest tamen se extendere ultra actum vel terminum sibi adæquatam, primarium. Exemplum est in divina scientia & potentia, quæ propter suam infinitatem non possunt habere pro objecto sibi adæquato primario, nisi Deum, & tamen ad creaturas secundariò se extendunt: Deus enim per suam infinitam scientiam se à creaturas comprehendit; & per intellectum, qui est in Patre potentia generativa Verbi ad intra, producit ad extra creaturas. Nec valet exemplum de paternitate divinæ, licet enim paternitas divinæ nulla alia persona divina, quam prima, possit esse aut denominari pater, eò quod denominationes quæ oriuntur à relationibus communicari nequeant, non communicato fundamentos fundamentum autem divinæ paternitatis, activa scilicet Verbi divini generatio, nulli alteri personæ divinæ quam primæ competere possit: nihilominus paternitas divina communicari potest ad extra, sicut communicatur ipsa filiationis cum non minus Pater quam Filius possit: nam assumere naturam; ac proinde sicut Filius communicando suam substantiam, communicat filiationem divinam; ita & Pater communicando suam hypostasim, suam etiam paternitatem, & Patris denominationem communicaret; nam homo ille à prima persona assumptus, non esset Filius, aut Spiritus. Ergo esset Pater æternus,

Dices